

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4697

**Auteur(s) :** Robert II, Meulan (comte)

**Bénéficiaire(s) :** Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1197, août

**Lieu d'émission :** Maretot

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert, comte de Meulan, donne aux religieux de Bonport un hôte à Pont-Audemer, libre et franc de toutes coutumes.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° XVI, p. 13-14.

Texte établi d'après a

Notum sit, tam presentibus quam futuris, quod ego Robertus, comes Mellenti, pro salute anime mee et antecessorum meorum, dedi et concessi, in puram et perpetuam elemosinam, Sancte Marie de Bono Portu et Girardo abbati et monachis ibidem Deo servitientibus, hospitem unum cum proprio masnagio suo, in Ponte Audomari, ante stalla, quietum ab omni consuetudine, et liberum, videlicet pasnagio et omni modiatione, molta molendinorum et sicca molta et tavernagio, et de omnibus aliis consuetudinibus et talliis omnibus in omni terra mea, tam per terram quam per aquam, ita libere sicut aliquis liberius tenet in villa illa, videlicet Radulfum de Kilebuf in perpetuum prefate ecclesie servitutum, et de omnibus responsurum, ut tam ipse quam heredes sui prefata gaudeant libertate. Et omnia catalla ipsius et heredum suorum et omnium eorum qui in masnagio illo, assensu abbatis et monachorum, manserint, quieta erunt et libera de me et servitibus meis omnino. Ita etiam quod si dictus Radulfus et filii sui ante mortem uxoris sue Matildis in fata concederent, eadem Matildis de prefatis monachis masnagium in ea libertate teneret et post mortem ejus, per assensum abbatis et monachorum, quicumque menasgium illud teneret, eamdem libertatem et immunitatem haberet, et quicumque manasgium illud de cetero tenerint, abbati et monachis omnino respondebunt, neque per alium poterunt justiciari.

Ut igitur hec mea concessio futuris temporibus, perpetue robor firmitatis obtineat, eam sigilli mei valituro in perpetuum munimine confirmavi, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo septimo, mense augusto, apud Maretot.

Presentibus: Hugone, Conventrinsi episcopo ; Willelmo, comite de Insula ; Willelmo de Ulmo ; Pagano de Mosterol ; Radulfo de Sancto Amando ; Nicholao, capellano comitis Mellenti ; Petro, capellano de Ponte Audomari ; Gilleberto sine Mappa, et multis aliis.